



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Nicolai Revsneri Ivrisconsvlti Insomniae, siue Noctes
Ivniae Entheae**

Reusner, Nikolaus

Lavingae, 1581


VD16 R 1436


urn:nbn:de:bvb:12-bsb00027821-6



L. VI
9

Th. 5859.





NICOLAI
REVSNERI
IVRISCONSULTI

Insomniæ,

sive

NOCTES IVNIÆ ENTHEÆ.


In graui, & periculoso
articulorum morbo euigilatæ.

Cum epistolis aliquot illustrium, &
clarorum virorum.



LAVINGÆ

M. D. XXCI.



ro

I



Re
am
stu
lite
ren
sur
sur
in
scri
trac
mi
rat
mo

CLARISSIMO VI-
ro, D. Nicolao Reusnero, Iu-
risconsulto, & Poëta ex-
cellentissimo &c.

IACOBVS MARIPETRVS S. P. D.



AMETSI HOMO,
qui tibi non cognitus
sum, nullum ad te bene-
volentia, & amicitia a-
ditum huc vsque habue-
rim: verè tamen, &
plurimum te, clarissime

Reusnere, amavi, & colui. Quid enim non
amarem virum omnium bonarum artium
studijs apprimè eruditum, & de Repub. tota
literaria optimè meritum? Quid non cole-
rem eum, in quo ornando, & amplificando
summi homines, summis ingenijs præditi,
summis officijs decertant? Hoc animo quã
in te fuerim semper: ex quo incidi in tua
scripta; quibus nomen tuum immortalitati
tradidisti: desideravi equidem commodam
mihi se dari occasionem; qua id tibi aliqua
ratione significarem: egiq̃ue cum ornatissi-
mo juuene Ieremia fratre tuo: quum is pri-
mum

A 2 mùm

num à Sambuco illo meo constitueret
apud Generosum Comitem nostrum; &
magna cum laude ab epistolis, atque ab
mo ipso factus, inseruit: vellet, quum mihi
per meas occupationes tunc non liceret,
meo nomine indicare; meque in tui bene-
létiam insinuare. Quod si, qui in me officio-
sissimus est, fecit: vt quidem ab eo factum
se facile credo: mihi quoque fatis, & plu-
rum etiam fecit. Vt verò aliquo argumen-
to magis adhuc cognosceres: quanti ego tuam
singularem virtutem, doctrinam, felicitatem
illam ingenij tui faciam: vnde gloriæ iam
signibus te ornasti; vtilitatemque, & volun-
tatem bonarum artium studiosis peperisti.
quàm vehementer etiam ardeam cupidus
tuæ in me gratiæ, & benevolentia: quod
primum præstare possum: volui has ad te
teras dare: quæ tibi meæ erga te obseruati-
& amoris testes, & veluti obsides essent.
etiam atque etiam peto: ne huius mei filij
diuturnitatem in malam partem interpre-
ris. Vale. Quarto Idus Aprilis, M, D, XXXI.
Neoburgo ad Oenum,

CL
bily

NI

C

non
Nun
tem
tam
pote
rit c
perp
Cui
sti h
tibi
com
pion
stare

CL

*CLARISSIMO, NO-
bilissimoque viro, D. Iacobo
Maripetro, Patricio
Veneto &c.*

NICOLAUS REVSNERVS S.P.D.



QVAM HONORI-
ficè, & amanter de me &
sentire, & loqui soleas;
Maripetre clarissime: su-
perioribus ad me literis
prolixè satis perscripsit
Ieremias meus: ex quo te

non vulgariter & amare, & colere cœpi.
Nunc verò quum eandem erga me volunta-
tem tuam, & sententiam confirmet epistola
tam lepida, & tam liberalis: dici profectò nō
potest: quàm vehementer ea meam incende-
rit cupiditatem, amicitia tecum, vt spero,
perpetua, atque immortalis constabilienda.
Cuius tu quoniam mihi quasi fores aperui-
sti hoc officio tuo liberali: magnam equidem
tibi debeo gratiam: & occasionem cupide
complector; quam mihi benignè offers: cu-
pioque omnibus in rebus me tibi eum præ-
stare, quem vis; & quem gratum hominem,

A 3 obser-

observantemque decet: ut ex mea amicitia
& ex tuo in me officio, magnam, & perpetuam
voluptatem sis capturus. Nam ut honoris
cum mihi, & gloriosum esse duco; amicitiam
cum eo colere; qui & suapte virtute ornatus
& maiorem suorum, quos Principes & duci-
ces fuisse Venetos constat, gloria commenda-
tus est: ita merito amo, & magnifico de-
strinam, atque sapientiam tuam; cum natu-
ra comitate, ac suavitate singulari con-
stantiam: quarum rerum satis illustria documenta
habent literae tuae: quibus nihil mihi acci-
dere potuit optabilius, aut jucundius. Quod
malo, quam verbis aliquando declarare: in-
terim ut de omni sensu meo rectius judicet
pagellas quasdam tibi mitto; amoris ergo
mei testes, & veluti obsides mutuas: quae
optimam partem te accepturum; & volun-
tatem hanc erga me tuam, quam literis expo-
sisti, perpetuo conservaturum, & opto
& spero. Vale. Lauingae. Cal. Quin-
til. M. D. XXCI.



NICO

NICOLAI REVS-
NERI LEORINI
SILESII

Insomniæ,

siue
NOCTES IVNIE ENTHEÆ.

I.

Ad lectorem.

Quid faciam lecto miser heu affixus, & ager?
Quando pes officium non facit iste suum?
Parte mei morior si corpore: viuere parte
Me Deus, & ratio vult meliore mei.
Credere mihi, viuit, qui cogitat: aut bene si non
Cogitat: insomnis somniat ager homo.
Somnia qui legis ista, pie sunt somnia mentis,
Dices. quæ pia sunt, Somnia quæso legas.

II.

Ad seipsum.

Quid mens anhelas agra? quid vigil tot iam,
Insomnia laborans, somnias noctes?
Si somniare, mens, cupis: Deum primum,
Legemque semper somnia Dei sanctam:

A 4 Es

N. REVSNERI

*Et corporis si non potes, tua saltem
Animæ salutem somnia. pijs quippe
Istud venit cœleste somnium portis.
O Somnium aureum. ò entheas Deûm noctes.*

III.

In somnia aurea.

*Repperit haud aurû, in somnis qui somniat
Aurea cur tandem somnia nostra voco?
Sunt aurum pietas homini, virtusque, Deus
Somniat hæc si mens, aurea nonne vocem?*

IIII.

In noctes Entheas.

*Nomino diuinas, vigilatas non sibi noctes:
Sed vigili vigilat quas mea Musa DEO*

V.

Ad Iehouam Deum.

De Symbolo suo.

*Si FORTITUDO, si SALVS, si LAUS
(ME A)*

*Quod symbolum te prædicat, DEVS, mem
Nunc fortitudo, nunc salus, nunc laus mea
Sis ò, Deus: membris sic dum languentibus
Nec fortitudo, nec præsens adest salus.*

INSOMNIE.

Si fortitudo, si salus nunc es mea :

Eterna iam futura laus mea es DEVS.

VI.

Ad Iesum Christum.

Qui me de nihilo fecisti : qui que relapsum

In nihilum, primi vitio Patris, atque meapte

Restituis culpa toties, totiesque reformas :

Sit tibi cura mei, dum languedo, Christe : nec ira

Corripe me, pœnam meritum, noxasque fatentem.

Nam mea cur tetricus merita, aut benefacta re-
(quiras?

Quin merita obijcias potiùs tua. respice quæso

Me clemens, morbo fractum, morbique dolore :

Et, quod es, hoc mihi sis dulcis seruator IESVS.

VII.

Ad Spiritum Sanctum.

Dum color infestat moribundos corporis artus :

Tu mihi tu requies cœlitus Aura veni.

Aura veni, Patris, & natì spirabilis aura :

Afflatu recrea languida membra tuo.

Tu lassum firma : tu consolare iacentem :

Tu vires ægro suffice quæso tuas.

Te sine nil ego sum, quantus sum : nil homo totus :

Te sine cor languet, mens mea torpet iners.

A S Tu

N. KEVSNERI

*Tu vegetū cor, Sancte, facis, mentemque vigentem
Spiritus: vnde vigor corporis ipse redit.*

*Aura veni, caeloque faue mihi semper aperto:
Quod sum, quod spiro, quod loquor, omne tui.*

VIII.

Ad D. Iulium I. Comitem

Salmae, & Neoburgi &c. Cæs. Confil.

Si quid homo patitur pius: ipse licet sine culpa

Hoc patitur: minimè patitur tamen hoc sine culpa.

IVLI magne Comes, regali sanguine crete,

Quod fit, sponte Dei fit hoc omne. quis impro-

Facta, Deus quæ spontè probat? qui, quod libe-

Solus agit, solus scit & omne, quod egit, agetque

Omnipotens regum rex ipse, deusque deorum.

IX.

D. Iulij II. Comitiss Salmen-

sis, Iulij F. Epitaphium.

Quod lechi fuga nulla sit: & quod funera des-

Mixta senum fato Mors, inuenumque pari-

IVLI magnanimi spes magna parentis Iuli:

Exemplo verum sic facis ipse tuo.

Quid genus, aut ætas tibi profuit vtilis? eheu

Annos quando duos vix benè natus obis:

Salmae

INSOMNIE.

Salmorum genitus Comitum propagine clara:
Quos colit Austrasie Teutonum ora duces.
Quid Patris virtus tibi profuit incluta magni?
Cuius ut ingenium, sic quoque nomen habes.
Mortuus at vita fruere meliore: receptus
Cælo, cum Patruo nuper & ipse tuo.
At superest frater SVEICCARDVS: &
(opto superstit)
Ipse diu: patris gloria, matris amor.
Quodque reor, nouus (opto) tuis ex ossibus hæres,
Matris amor, patris hinc exoriatur honor.

X.

Ad D. Rupertum à Stozin-
gen EQ. & Confil. Caf.

Summam qui Sophiæ docet duobus
Verbis: iure Sophus putandus hic est.
Sunt hæc: SVSTINE, ET ABSTINE.
(quid istud?)

Sustine bonum, & abstine à malo: vel
Sustine Deum, & abstine abs te ipso.
Solutus namque Deus bonus: malusque
Omnis est homo. quid potest amabo
Aut dici sapientius duobus,
Aut concinnius his, RICHARDE, verbis?

Sym-

N. REVSNERI

XI.

Symbolū Iacobi Monauii

IPSE FACIET.

Ex Psalmo 37.

Omnia qui FÉCIT Deus, & FACIT

IPSE tuum FACIET, quò benè cedat

XII.

Ad Andream Duditium à

Sbardelato, Cæs. Consil.

Qui se vincit homo, facile hic quoq, cætera vincit

Et qui se nouit, cætera noscet homo.

XIII.

Ad Ioannem Cratonem à

Craftheim, Med. & Consil. Cæs.

Felices alios, CRATO, qui facit, atque beator

Hic meritò felix, atque beatus erit.

XIIII.

Ad Petrum Vincentium.

Summa Deum laus est, & se PETRE noscere

Cuncta equidem: qui se nouerit, atque Deum

Ad Adolphum Occonē III.

Med. Augustanum.

*Aeger corpore, mente sanus, OCCO,
Quum sim: pro potiore sanitate
Magna gratia nunc Deo est habenda.
Nec mors est metuenda: namque vita
Si reddenda Deo sit: ut necesse est:
Hoc est reddere creditum petenti.
At hoc reddere turpe, fœneratum
Si non sit benè, gratus ille demum
Qui vitam pietate fœneratam,
Et morum probitate reddit vltro
Talentum Domino suum petenti.
Quid felicius est, beatius ue?*

XVI.

Ad D. Sueiccardum Comitem
Salmensem, Iulij F.

*Qui sapit, ille mori nec vult, nec viuere: solū
Istud committit munus vtrumque Deo.*

XVII.

Ad D. Philippum Edouardum
Fuggerum, Comitem Kirchbergæ,
& VVeiffhornæ,

Multa

N. REVSNERI

Multa cauet sapiens, quæ fata minantur, & affre
Fortunæ faber est quisque, PHILIPPE, sua

XVIII.

Ad Ioan. Gothardum Strei-
nium, Baronem Schuarzenauium, &
Hirsbachium.

Qui rectè sapit, & rectè valet: optima vite
Munera, diuina sorte beatus, habet.
Vt rectè sapias, diuina oracula disce:
Vt rectè valeas, numina posce Dei.
Corporis & medicos, animique libenter honore
Sic mens in sano corpore sana manet.

XIX.

Ad Paulum Melissum Sche-
dium EQ. & Com. Pal.

Si bona res data sorte sit, & bona, PAVLE, tu

Quid magis optari per tua vota potest?
Quin etiam mala si res sit: bona sæpe voluntas
Temperat: atque malum sic facit esse bonum.
In re namque mala bona mens magis adiunat: at
Aerumna bona sic fit medicina mala.

XX.

Ad Matthæum VVaccerum
Constant. Iurecos.

INSOMNIAE.

*Qui miser esse potest: non se modò fortiter ille
Vincit: sed fatum sic quoque vincit homo.*

XXI.

Ad Martinum Crusium.

Qui fati metuit necessitatem:

Ac semper timet hoc, quod est futurum:

CRVSI, bis miser est. meticulosus

Cogit se, quòd abest, pati: molestum

Passurus simul hoc, quod est futurum.

XXII.

Ad Petrum Monauium

Medic. Cæsareum.

SUSTINE, ET ABSTINE.

*Qui suus est, sua non vult esse aliena. sed his dum
Abstinet: omne quod est, sustinet ipse, suum.*

XXIII.

Ad Martinum Rulandum

Medicum.

Intus cura, foris dum me vis dira fatigat

Morbi: quid potius, quàm miser esse velim?

Quàm patior, me certa beat summa antè malorū:

Sic mihi, quod patior, non solet esse nouum.

Fortior est, expersque metus, incommoda vitæ

Pectore si quis habet præmeditata suo.

Ad

N. REUSNERI

XXIII.

Ad Paulum Fabricium

Med. & Mathem. Cæs.

*Tu ne cede malis: sed contra audentior ito:
Aeger ego mihi sic occino, PAVLE, diu
Crescit vis morbi, quantum fidentia mentis
Crescit: cor vegetum num minùs ipse gerant
Absit, vt hoc faciam. patientia namque dolori
Optima sic cuius fit medicina malo.*

XXV.

Ad Christophorum Reu-

nerum Fr.

*Quod prauis benè sit, bonisq̃ue prauè:
Frustra ringeris, eiulasq̃ue frustra.
Mundi sunt socia haud, Deiq̃ue regna:
Hic bonis bene fit, malè sed illic.
Felix, cui malè forsan hoc sub æuo est:
Æuo quò bene mox sit in futuro.*

XXVI.

Christiani Reusneri, Ch-

stophori F. nepotis sui Epitaphium.

*Dum Christianè, mi Nepos, te viuere
Opto: mori quò Christianè tu possis semel:
Sic CHRISTIANI nomen impono tibi.*

INSOMNIÆ.

*Opes inanes: sed spe plenas optima:
Quod Christianè mortuus mundo semel:
Iam Christianè cum Christo viuis diu:
Aeuo beatus sempiterno perfruens.*

XXVII.

Ad Ioan. Fichardum Iurisc.

*Vita quid est? nisi mors. nam dignos morte, FI-
(CHARDE,*

Vita facit. mors, est vita vocanda magis.

Mors hominem mortis pariter, morbiq̃ue periclis

Subtrahit: & vitæ certa fit arra nouæ.

XXVIII.

Ad Somnum.

Somme quies rerum: nos assuetudine mortem

Spernere, quum sis tu mortis imago, doces.

XXIX.

Ad Iacobum Maripetrum

Patr. Venetum.

Aut mors, aut mihi vita sit quieta:

Sic vulgus loquitur: sed illa vox est

Celebrator: Aut honesta vita,

Aut mors forsan honesta sit, IACOBE:

Plus hæc omnibus expetenda vitis.

Namque haud turpe mori: sed illa demum

B Mors

N. REVSNERI.

*Mors est viuere turpiter, moriue :
Mortes mors misera ista vincit omnes.*

XXX.

Ad Ioan. Sambucum C
Histor. & Confil.

*Vita, via est. farrago via, sunt cura, dolorque,
Et labor. at mors est vltima meta via.*

XXXI.

Ad Georgium Obrech-
tum Iurisc.

*Stultitiam patiuntur opes : patimurque vici-
Nos quoque nequitiam, quam moderantur opes.*

XXXII.

Ad D. VVolfgangum Stre-
nium, Richardi F. Baronem Schuar-
zenaiium &c.

*Mens vsu colitur, labore corpus.
Sanum corpus habere vis? labora.
Mentem vis quoque sanam habere? sensus
Exerce studijs tuos honestis.
Mens vsu viget, otio senescit :
Corrumpit velut otium, laborque
Contra corpus alit, vigoris expers.*

INSOMNIÆ.

XXXIII.

Ad Michaëlem Chilianum

Alteburgium.

*Si labor est animæ vigor, et vita: otia mentis
Sunt caries, et mors tristis, et agra lues.*

XXXIIII.

Ad Nicolaum Cifnerum

Iurisconsultum.

*Quid fortuna sit, aut casus, nil curo: sed istud
Verumuis equidem nomen inane puto.*

*Cur hoc? namque Deo sunt omnia plena: remotus
Sic licet à nostris sensibus ipse Deus.*

*Corpore ceu vacuum nihil est: sic quicquid ubique
Cernitur, hoc magni vis replet omne Dei.*

*Seu benè, seu malè sit mihi: Fors, Casusque valete:
Solius imploro numen, opemque Dei.*

XXXV.

Ad Danielelem Cromerum.

*Quicquid agis, rectè DANIEL age. sic benè
(de te*

Sponte loqui coges, benè vel sentire malignos.

XXXVI.

Hieronymi VVolfij Oetin-
gensis Epitaphium.

B z Si

N. REVSNERI

Si doctrina mori, & virtus, Hieronyme VVOL Cui
Possent: debuerant te moriente mori. S
Nan

XXXVII.

De eodem.

πολλά γράφω, καὶ πολλά λέγω *Ιερωνύμ*
(εὐδία) Ad

Βόλφισ, εὐρὺ κλέος γῆν καδ' ἀπασαμ *ἐγ*
Qui

Idem Latinè.

Tot bona qui scripsit, docuitque *HIERONY*
(MVS. in

VVOLFIVS: æternæ nomina laudis habet

Vel.

Tot rerum scriptor pariter, doctorque bonarum
VVOLFIVS, æternum nomen ab orbe tulit

XXXVIII.

Ad Ioan. Henricum Her-
uuartum, Patr. Augustan.

Qui terræ nunc est onus, huic mox terra futura
Est oneri, cur sic ergo superbit homo?

XXXIX.

Ad Guilielmum à Roten-
han, EQ. Francum.

INSOMNIÆ.

*Cui licet, ut libet, haud est liber, ducere vitam:
Sed benè qui paret legibus, atque Deo.
Nam legum seruum sic esse, Deique ministrum
Quemque decet: liber uiuat ut ipse sibi.*

XL.

*Ad Ioan. Henricum Hain-
zelium, Patr. Augustanum.*

*Qui sibi res, non se rebus submittit vbique:
Liber homo dici cur mereatur, habet.*

XLI.

*Ad Nicolaum Rudinge-
rum Pisouernatem.*

*Quid tandem quid agis, Dolor? molestus
Sis quamuis, Posidonius iocatur
Membris æger, & artubus laborans:
Summum quando malum negat dolorem.
Sed cur esse malum negem dolorem,
Qui nunquam bonus est? malum fateri
Cogar: saxeus esse, Nicolae,
Aut amens, stupidusue ni laborem.
Fomentum ergo meo peto dolori:
Mens hoc est pia, & aqua: ne dolori
Cedam: sed quasi homo lubens dolorem
Admittam: & quasi homo malum omne vincam.*

B 3 Crenis

N. REVSNERI

*Creuit quum nimium dolor, deinde
Decrescet. leue sic' fit omne durum,
Et sic leue fit asperum ferendo.*

XLII.

Ad Ioan. Posthium Med.

Mors vitæ dolor est: vitalis vitæ voluptas:

Quid cum tristitia est viuere? nonne mori?

At sine tristitia vera est hæc viuere vitæ:

Mille dolor mortes concreat ante diem.

Scilicet hoc pallor mortis comes, atque doloris

Sat docet: vt mors sit sæpe vel ipse dolor.

Sim minùs vt tristis, satago benè viuere, PO

(STH)

Nam bona vitæ, animi gaudia semper habet,

Quod restat, curas animi, vitæque labores

Phæbe mihi mollis carmine, Bacche mero.

XLIII.

Ad Carolum Vtenhouium

C. F. Terræ Nouæ Dominus.

Illa voluptas

Dicitur esse

Vera voluptas:

Si qua voluptas,

CAROLE, nunquam

INSOMNIÆ.

Desinit esse

Vera voluptas,

IVL. CÆS. SCALIGERI.

Socij voluptas quæ doloris est comes :

Non est voluptas cum dolore, sed dolor.

XLIIII.

Ad Nicolaum Redigerum

III. Patr. Vratisl.

Si quæ dolore voluptas

Empta sit, haud est vera voluptas.

Nec comes est vbi mæror,

Lætitia hæc jucunda videtur.

Fel pro melle dat ille:

Aut post mel, fel triste relinquit.

Sic damnosa voluptas

Exuperat precia omnia longè.

XLV.

Ad Iustum Lipsium.

Mors hominem sepelit: somnus si mortis imago est:

Quid nisi viui hominis triste est, & putre sepulcrum?

Nam vita est hominis mens viua, vigenſq;: sed illa

Somnus iners sepelit, vel somno dedita vita.

XLVI.

Ad Somnum.

B 9 Aug

N. REVSNERI

*Aut fur temporis, aut negotiorum
 Ofor somnus iners vocatur. Ergo
 Somnum quum capio minus, beatus
 Num fortasse magis videbor esse?
 Quod vel fure domi, vel otioso,
 Qui peior quoque fure sit, carebo.
 Erro. Fas mihi te vocare, Somne:
 Quum sis pax animi, quies, voluptas:
 Mulcens pectora, corporisque vires
 Paulatim reparans suo labori:
 Cura denique victor, & laboris
 Optatissimus, & gratitudinisque.*

XLVII.

Ad Delphinum Ca-
 tellum suum.

Quid gemis affixus domini DELPHINI
 (grabat)

*Quid prater morem, fide catelle, gemis?
 Murmure quid toties agedum baubaris amico?
 Stipator lateris nunc, velut antè, mei?
 Fidus heri custos, sentis tua vulnera sentis:
 Quæ cruciatus heri, quæ dolor ipse facit.
 Auribus hoc, oculisque notas, & verbere cauda
 Tu simul: & vis hoc triste leuare malum.
 Nec facis hoc frustra. nam sentio dulce leuamen
 Blanditias video quando Castellæ tuas.*

INSOMNIA.

*Sic bene sit Delphine tibi: nec tergora pulex
Improbis, aut linguam lytta maligna premas.*

XLVIII.

Ad Laurentium Gualtherum
Cuchelium Medicum.

*At verò malè sit tuæ podagræ,
Aut certè gonagræ: nimis maligna
Quæ te te abstulit huic sodalitati:
Condimentum equidem omne nuptiarum,
Choragumq; simul bonum futurum.*

Sic tu scribis, at ipse quid rescribam

LAVRENTI? malè sit malam podagram,

Aut certè gonagram malè ominanti:

Cui nec par medicina sit medendo.

Non me dignor honore (crede) tanto:

Delicatula quò mibi podagra,

Mollicella vel excubet gonagra:

Quam nec inuideo, nec opto cuiquam:

Magnus quisquis herus solet vocari.

At contra bene sit tibi vicissim

Sic GVALTHERE meam vicem dolenti:

Vt me viuere, me valere semper,

Et mibi bene, quàm malè esse malis.

Succenses quòd Apollini, vide quid

Agas: cuius vt esse vis alumnium

B S Me,

N. REVSNERI

*Me, tute optimus ipse sis alumnus:
Phæbea bonus artifex medela.*

*Aut hunc ergo tibi, mibi que placa:
Aut si qua est podagra, aut gonagra (quanquam
Nolo hoc credere, vel malè ominari)
Phæbea fer opem mihi medela.*

Ulma. · X. Kal. Quintil.

XLIX.

Ad Theodorum Zuingge-
rum, Med. & Philos.

*Non homini qui seruit homo, fit seruus: at ille
Qui seruit vitijs, seruus habetur homo.*

*Fas hominem seruire homini, quò plus homo seruit
Hoc magis ille homini non homo, sed Deus est,
Namque sui, & VINGGERE, potens, se possit
(fides ipsa)*

Liber: & est sapiens, & sibi diues homo.

L.

Ad Ioan. Georgium à Ro-
tenham, EQ. Francum.

*Fenerat, & donat sibi, quisquis donat amico:
Munera si qua dedit, propria semper habet,*

LI.

Ad Ioanem Lauterba-
chium, P. L.

INSOMNIÆ.

*Pura manus, & pura cui mens, linguaq; pura est:
Iudice me, iam non hic homo, sed Deus est.*

LII.

Ad Georgium VVir-
thium, Medicum.

*Qui terrena magis, quàm qui cœlestia curat:
Non hominem, brutum sed pecus esse puta.*

LIII.

Ad Reymundum, Ioan. F.
Reymannum.

*Prima Deo: patriæ, REYMVNDE, secunda,
(patriq; :*

Tertia, si nescis, fidis debentur amicis.

LIIII.

Ad Paulum Flœttacherum
Ratisponensem.

*Qui simulat se, PAVLE, bonum: se iactat, ut
(umbram:*

Sis, moneo, potiùs, quàm videare bonus.

LV.

Ad Deum Opt. Max.

De suo Symbolo.

*Quod salus, & quod mea fortitudo
Sis D E V S: laus es mea in vicissim:*

Tu

N. REVSNERI

Tu dator vita, dator es salutis

Maximus vnus.

Fortis est in te Deus vsque fortis :

Saluus est in te quoque saluus vno :

Fortis in te sum, Deus, atque saluus,

Si licet, vno :

Sic eris cuum mea laus in omne.

Laus, salus, & si mea fortitudo es :

Mortis, & morbi, Deus, ingruentes

Sperno dolores.

LVI.

Ad Conradum Leium

Orocrenium.

Cur timeat, CONRADE, mori,} qui vincit

(LEIE

Haud timet? at timor est mortis amarus, ali

Credo. sed finis si mors, & vita malorum

Principium est : finis spe timor ille cadit.

LVII.

Ad Petrum Albinum

Niuemontium.

Qui sibi se retinet, fortunæ despicit ille,

PETRE, minas : lenis hæc prælia si qua no

(nat

Ad

INSOMNIAE.

LVIII.

Ad Gregorium Bersmannū.

Respicere extremae qui vult spacia vltima vitæ:

Fortuna quemuis vult meminisse sua.

Nescis quid serus vesper vehat: ille dici,

Sed vitæ, mors est, regula certa sua.

Sic nemo ante obitum satis est, BERSMAN-

(NE, beatus,

Aut miser. hoc verum est, exitus acta probat.

LIX.

Ad Ioan. Baptistam Cra-

tonem, Ioan. F.

Sic, CRATO, viue tibi, reliquis vt viuere possis:

Tanquam homini, tanquam sic bene viuis homo.

LX.

Ad Casparum Sueuum.

Si viuis tibi solus, & es sic, SVEVE, beatus:

Non tibi, sed patriæ si sapiis, ipse sapiis.

LXI.

Ad Iosephum Scaligerum.

Fortunam fugit ille, fugit quicumque laborem:

Dumque voluptatem querit, fugit ipse. laboris
Quum

N! REVSNERI

Quum fortuna comes sit, SCALIGER, atq;

(voluptas)

Laus homini labor est: at fraus ignavia mera.

LXII.

Ad Hadrianum Iunium.

Cui facit inuidiam bona fors aliena: simulque

Cui mala letitiam fors aliena creat:

Impius est, & iam miser incipit esse: virescit,

IVNI, cui plena fertilitate malum

Qui sapit, ille sui memor est: commune periculum

Supprimit: & misero fert miserator opem.

LXIII.

Ad Paulum Clofium Med.

Gnava quies, virtus: vitium est, ignavia: laboris

Actos, incundos sic quoque vulgus ait.

Post mala si qua venit, venit optima, postq; laboris

PAVLE, quies: dignus nempe quiete laboris

LXIII.

Ad Iohannem Herman-
num Medicum.

Otia qui querit, fugit otia: sed mala tantum

Otia: ne perdat otia vera sibi.

INSOMNIAE.

LXV.

Ad Philippum Gualtherum
Drechslium, Gualtheri F.

*Siquis non metuit, quæ sunt metuenda, PHILIP-
Hic metuet, quæ non sunt metuenda sibi. (PE,*

LXVI.

Ad Adamum Closium.

*Munus, quod facere est sibi necesse,
Vtò qui facit, hic facit decorè
CLOSI: libera gaudet esse virtus,
Amans ingenui pudoris. at sic
Verbis, verberibusue malle cogi,
Quàm pudore, metuque liberali:
Servile est nimis, haudque liberale.*

LXVII.

Ad VVolfgangum Chri-
stophorum à Rotenhan, EQ. Fr.

*Qui spuit in cælum, nonne hic spuit improbus in se?
Qui sibi præfectos non colit, istud agit.*

LXVIII.

Ad Hieronymum Fabrum
Medicum.

*Sors bona si fuerit, cur plaudam? sin mala, frustra
Quid querar? vtrumuis dissimulare decet.*

Sic

*Sic aut inuidia, FABER, opprobrijsue carbo
Inuidiam bona fors, fors mala probra crea*

LXIX.

Ad Paulum Constantinum
Phrygionem Medic. VVirtebergicum

Quid morbos querimur miseri, vitæque labores

Et quod vel fors nos, pauperieshe premat?

Ecquis homo fit pauperior, quam nascitur?

Quum miser in cunis, & sine voce iacet.

Nascimur vt nudi, morimur sic denique nudi.

Et fatum mortis vincere nemo potest.

Si sapimus, quæramus opes modò, PAVL

(bea

Sed cælum, non quas terra ministrat opes.

In Domino quisquis diues semel esse laborat:

Æternas semper diues habebit opes.

LXX.

Ad Thobiam Theodorum

Simplicitas laus est, at fraus, simulatio. iam

Elige, quod dignum te magis esse putes.

LXXI.

Ad Ieremiam Reufnerū

Quod dant fata tibi, cape lætus; sperne vicij

Quod tibi fata negant.

INSOMNIA.

Sorte sua melius contentum viuere: numen
Quàm violare Dei.

Qui violat numen, faciens conuicta cælo:
Immemor ille sui,

In sese blaterat miser: & sibi vim parat ipse,
Cui sua fors odio est.

LXXII.

Ad Martinum Hertelium

Secr. Niff.

Quæ melior, Martine, rogas, sit victima? dicam:
Mens pacata Deo, victima sola placet.

LXXIII.

Ad Ioan. Reymannum IC.

Cancell. Vratislau.

Corde Deum placa, si vis placare, fidei:

Namque malè placat copia stulta Deum.

Quid dabis huic, qui non eget, & qui spontè dat
(omne?)

Quod das, & quod habes, hoc dedit antè Deus.

Idem cor quoque dat purum: si reddis eidem

Purum cor: placet hæc victima sacra Deo:

LXXIII.

Ad VValtherum Drechse-

lium Iurisc. & Cancell. Palat.

C SUMMARIUM

N. REVSNERI

*Summum nec metuas diem, nec optes:
Qui dixit, benè dixit an Poëta?
Quum mortem leue semper imminentem
Sit contemnere, cogitare durum.
Sit durum licet hoc: pium ac decorum est
Omni tempore cogitare mortem.
Nam mortis meditatio frequens, est
Summa, & maxima disciplina vitæ:
Et puppis sapientiæ, atque prora
Vna. qui meditatur hanc subinde:
Summum nec metuit diem, nec optat.*

LXXV.

Ad Vitum VViggiu[m] Iu-
reconsultum.

*Quis scit? vita sit, an mors? an mors, vita sit?
VITE placet? verum sic canit Euripides.
Hic via, & hospitium est: illuc est patria letæ.
O quantum scire est viuere, scire mori.*

LXXVI.

Ad Georgium Sebastianu[m]
Stibarum à Putenheim EQ. Fr.

*Siren blanda libido: libido sed esca malorum est
Et sanctos vincit dira libido viros.
Ipse sibi mater, sit item sibi quisque nouerca:
Illecebris vitij ne capiatur homo.*

Miscell.

INSOMNIÆ.

*Misceat, & partes se prudens verset in omnes:
In scelus incautum ne malus error agat.*

LXXVII.

Ad Laurentium Ludouicum Leorinum.

Dum viuis, metuis mortem, LVDOVICE!

(quid ergo

Vita hominis, mortis quàm metus esse potest?

At mortis metus, haud metus est: sed plurima

(mors est:

Sic vita est longa mortis habenda genus.

Viure si pœna est: cur mors sit acerba, grauisque?

Que mortis, pœnæ quæ quoque finis erit.

LXXVIII.

Ad Paulum Boclinum

Augustanum.

Lux anima est, corpus laterna: vt luceat illa,

Plumbea ne sit, & hac ferrea, PAVLE, caue.

LXXIX.

TVMVLVS VVOLFGANGI COM. PAL. ET DVCIS

BOIORVM. PRINCIPIS OPT. ET MAX.

Celsa Palatinæ cui stirpis origo: Bipontum

Patria: nunc bustum fit Mesenbæma sacrum:

C 2 Es

N. REVSNERI.

Et cui mater Elisa: pater Ludouicus: & Anna

Coniux, Cattorum sanguine nata fuit:

VVOLFANGVS, Patria Pater, & pater
(tatis alium)

Post octo vitæ lustra, beatus obit.

Feruidus in Gallos quando mouet arma potens

Lemouicum, sæua febre perustus, agro.

Posthuma quem magno sequitur victoria plenus

Partaque militia gloria, parta roga.

LXXX.

TVMVLVS OTHONI

HENRICI, COM. PAL. ET D.

CIS BOIORVM: PHIL. LVD. F.

VVOLF. N.

Stirpe Palatina prognatus: Patre PHILIPPO

LVDVICO: princeps cui fuit ANNA pater

Iuliaca sata gente, VILHELMO Principe natus

OTTENRICVS in hac Dux requiescit

Mortuus hic infans, quarto vix mense peractis

Ætatis: Christo jungitur inde suo.

Per mortem, pueros ad se vocat ille tenellos:

Infantumque pio se cupit ore coli.

LXXXI.

Ad Ioannem Hessum.

Iurisconsultum.

INSOMNIE.

*Si natura dedit necessitati
Corpus: fert animum sub astra virtus
Immortalis, & hunc beat beata:
Ne cum corpore vel senescat unquam,
Aut ne deficiat malo sub ævo.
Cum virtute superstes ille quippe
Semper euolat ad pios penates:
Missus vnde fuit: beata rursus
Cæli templa habitabilis receptans.
Sic non omnia finit, HESSE, letum:
Mens est nescia mortis, atque virtus.*

LXXXII.
E Græco.

*Vita quid est? iocus, & ludus: vel discere iocando
Ludere securus, vel cruciari dolens.*

LXXXIII.

Georgij Lochneri, Morio-
nis Palatini Tumulus.

*Vita iocus, ludusque: joculari, & ludere quando
Nolo magis: morti me quoque vita dedit.*

LXXXIII.

Ad Paulum Hartingium
Marixmontium.

C 3 Mors

N. REVSNERI

Mors sensus, sopor est: mors est nox atra diei.

Si sopor, & nox si grata subinde venit:

Cur mors non optanda magis, quàm, PAVL

(timenda est)

Nam sopor, & nox, mors utraq; parua, jura

LXXXV.

Ad Adamum Siberū V. CL

Quotidiè moritur, mundo qui vivit, ADAM

Nam vita non hæc vita, sed mors est magis.

Qui mundo moritur, vitalem vivere ceptat

Vitam: semelque mortuus, cessat mori.

O quantum ergo boni fuerit, non vivere mundo

Sed quò mori cesses, semel mundo mori.

LXXXVI.

Caroli Vtenhouii aui, &

Patris Epitaphium.

Ad Carolum Filium.

Οὐδέμ, σὺ μὲν ἐφῆς, ὁ βίος. Τί δ' ἐκάρου

ζῶν, ἐκ ἀπόλλυται ὁ Οὐτενῶ βίος.

σὸς γὰρ πάππος, ὁμῶς τε πατήρ σου Κάρου

(τεθνήκει)

οἶον ἐν ἰσῶ ζῶν ἐτ' ἐκ ἀπόλλυτο.

Ζῆθου ἐῖς ἀμφω διδάχῃς, ἀρετῆς τε ληπῆς

ζῶν τυπὸν σε Κάρου Οὐτενῶ βίον.

ID EST,

INSOMNIÆ.

Vita nihil, sic inquis. at hinc cur **CAROLVS**

(vsque

Viuens, perire nescit **VTE NHOVIVS?**

Namq; auus, & pater ille tuus iam mortuus, in te

Perire neuter scit superstes filio.

Vuit hic exemplum virtutis, & artis vterque

Linquens sua te **CAROLVM VTE N-**

(HOVIVM.

LXXXVII.

Ad Christum.

Sen morior, seu viuo, mibi te **CHRISTE** lucrare

O liceat: mirum, lucris quantus ero.

LXXXVIII.

Ad Thomam Henisium,

Cof. Bolesl.

Quod libet, haud liceat, **THOMA**, tibi protinus:

(hostem

Quid iuuat vlcisci? sit potuisse satis.

Maxima namque viro vindicta ignoscere forti est:

Compensat lucris qui mala damna bonis.

LXXXIX.

EPITAPHIVM

Barbaræ VVeihemaiæræ,

Sebast. Coruini vxoris.

C 4

Dulce

N. REVSNERI

*Dule domus columen, solamen dulce laborum:
Atque decus lecti BARBARA dulce
Filia VVeimarij, Coruini Barbara conjux:
Tres natos, natas mater adepta duas:
Morte cadit subita, busto tumulata sub isto:
Quem coluit, viuit mens super astra Deo.*

X C.

Ad Hauboldum Floëtta-
cherum Cos. Ratisponensem.

*Aeger inaequales horas, & sanus habere
Fertur homo, nam dum ridet hic, ille gemit
Si dolor est magnus: toto nox vna, dies hie
Longior est anno saepe, vel hora breuis.
Sed tamen est agro praesentia dulcis amici:
Tadua qui morbi fallere longa potest.
Nam sapiens agrae medicina oratio menti
Vtilis est: & dat gaudia vera mihi.*

X C I.

Ad Ioannem VVeidnerum
Lendfidelium.

*Si vita exilium breue, si mihi patria calum est
Cur optare sit, haec soluere vincla, nefas?
Quis mutare neget regnum seruile paterno?
Aut patria quis se deneget exul homo?*

INSOMNIE.

Cui nusquam domus est, an non est mortuus ille?
Mors vocat ad patriam quum bona, Vita vale.

XCII.

Ad Iesum Christum.

Te quoties Patri assiduum contemplor IESU:
Me toties creat, & recreat ipse Deus.
Ipse Pater creat: at recreat me Spiritus: ipse
Tu prece me placas mitis utriusque tua.
Iamque Dei per te sum certa propago. quid ultra?
Heres sum. nam sum frater & ipse tuus.
Sum tuus ergo (patris velut heres)CHRISTE
(cohæres:
Quis miseræ vitæ non satur esse velit?
Christe faue: fac morte obita me viuere: mortis
O mors, ô vitæ tu mihi vita faue.
Sim precor ô tecum: requies vbi certa laborum:
At tu Vita vale: mors mihi vita noua est.

XCIII.

Ad Paulum Hessum Medic.

Mors optanda bonis, malis timenda est.
Illis vitam aliam, his dat, HESSE, mortem
Illis letitiam, his parat dolorem:
Aeternoque beat bonos Olympo:
Aeterno cruciat malos vt Orco.

C s Ad

N. REVSNERI

XCIH.

Ad Ioannem Bonriederum

Iurisconsultum.

Languedo dum morbo: plus tu languere subinde

Diceris, ô animo nuncia dira meo.

Sed quid agam? fortis Deus, atq; saluifer idem

Te fortem, & saluum reddat, amice, precor.

Fortis in hoc, & saluus ego quoq; comprecor esse

Sic mea vox; sic me pagina sacra monet.

Si tibi, si que mihi diuinitus accidat istud:

Perpetuus laudis debitor huius ero.

Viuus homo viuum viuâ si denique laudat

Voce Deum: laus hæc aptior vna venit.

At Stygis atra domus, sedes inamœna silentium

Cantandis non est laudibus apta domus.

Quicquid vult Deus, esto ratû: nihil amplius opto

Sed nobis animæ certa sit vna salus.

Sit locus huic cœlo: mandemus cœtera terra:

Sic cœlum recipit, sic quoque terra suum.

XCV.

Ad Nicodemum Frischli-

oum. P. & Com. Pal. Cæs.

Funera, sed lacrymis sine tristibus, Ennius optat

Funera cum lacrymis optat at ipse Solon.

Cum lacrymis nec ego, nec ego sine fletibus opto

Funera; sit pietas cuique modus, vel amor.

INSOMNIÆ.

XCVI.

Ad Christophorum Schil-
lingum Medicum.

Nullum principis esse rex Amyntas
Olim dixit honestius sepulcrum:
Quam regnum suum. At optimum sepulcrum,
(Si quid rectè ego judicare possum)
Sancta Ecclesia semper est piorum,
Sanctorumque hominum. illa nempe regnum
Cæleste, & sacra ciuitas Deorum est.
Vnum mortuus, atque viuus istud
Opto perpetuò mihi sepulcrum:
Tunc felix ego, tunc ero beatus.

XCVII.

De pictura Cenotaphij sui.

Ad Christum.

Quam pingit manus, & quam lingua fatetur: in
(Vnum

Et Trinum spes est certa, fidesque Deum.

Conditor ille Deus meus est: meus ille redemptor:

Sacrator Deus est solus & ille meus.

Tuta fides hæc est æternæ semita vitæ:

Sit mortis dux hæc (opto) comesque mea.

Credo equidem: sed tu, quod credo, semper adauge:

Per te quò semper viuere, CHRISTE, queam.

Epita-

N. REVSNERI

XCVIII.

Epitaphium auctoris.

Dum liceat te, CHRISTE, frui: valedicere memento

Cur dubitem? sis ò sis mea vita, Deus.

Nam mors est, homini quæ viuatur, anxia vita:

At mors, est vitæ vita. quid ergo moror?

Munde vale. cui vita nec est, mors est quoque nulla.

Namque Deo vera est vita vocante mori.

XCIX.

Ad Dauidem Peiferum, Iurisc.

& Confil. Elect. Saxon.

Si laus est hominis, bonis placere:

Laus est hæc quoque, displicere prauis.

Namque infamia vera, laus putanda est

Eius, qui malus est: nihilque fecit

In vita simul ipse laude dignum.

Sic Hector cupit ille Næuianus

Laudati ore viri, atque laude digni

Laudari. putida ore de maligno

Laus, & sordida fit citò bonorum.

C.

Ad Zoilum.

Si breuis est nimis iste libellus


ZOILE: cur tua lingua proteruè

Oblat

INSOMNIÆ.

*Oblatrans simul, oblateransque,
Haud iridem brevis esse laborat.
Nam breue non bene dixero longum
ZOILE: quin mala causa silenda est:
Si minus hæc bona causa videtur:
Cui bona sit mala, non bona, causa.*

FINIS.



LIBRARIVS LECTORI, S.

MOrbo oppressus Auctor noster sanè molesto, & difficili: quum in lectulo sibi ferè decumbendum foret, & malè feriandum: Epigrammatis his ad Deum, & homines scriptis: vigilans, somniansque, se officij sui commonere: & dolori ita mederi: & longos (vt Poëta ait) Soles fallere voluit: tum verò suam erga Deum pietatem, & erga amicos absentes beneuolentiam, memoriamq; eodem pacto contestari. Cæterùm ad calcem huius libelli adiunximus epistolas aliquot illustrium, & clarorum virorum: quas & ipsas non indignas, aut injucundas lectu fore existimamus. Vale, mi Lector: & Etesias eiusdem propediem expecta: quæ quoniam cum reliquis Poëmatis Basileæ excusis non vnà prodeunt: seorsim eas diulgare visum fuit.

CLA-

CLARISSIMO A
que prudentissimo viro, D
Nicolao Reusnero, Iurisc
& Poëta Præstantissi-
mo &c. S. P. D.



Eddita mihi sunt litera
tua, doctissime REUSNERO
RE: quibus formam
tanquam faciem liberali-
tatis tuæ mihi exprime-
re voluisti. Quod enim
honorificè & sentis, & scribis de me: quod
mihi tantum tribuis, quantū non agnosco
nec recipio: meritò hoc tribuendum à
venit tuæ benignitati naturæ. Qua & hoc
etiam animaduerti: vt dum elegantissimis
teris tuis me in tui amicitiam allicis, & attrahis
his; eum ipsum te mihi præbueris; quem
esse Sambucus meus sapius, & optimè præ-
cauit. Itaq; & de eo ago tibi, vt par est, ingen-
tes gratias: & te rogo, vt istam animi tui
me propensionem mihi conferues. Quod
enim magnæ mihi laudi duco; amari à
similibus; id est, ijs, qui omnium bonorum
amorem

Amore digni sunt: voluntatem tuam eo semper loco habiturus sum; quo merito suo erit habenda. De Ieremia fratre tuo, quod ex me scire disideras: quàm suum faciat officium: possum equidem tibi affirmare; ipsum cura, attentione animi, & diligētia, Spartam suam benè ornare: nec, qui sua virtute mihi iam satis commendatus est, tua apud me commendatione egere. Mores iuuenis optimos, atque in hac sua aetate excellens ingenium, & probo, & amo: & qui ad hanc diem carum propter hæc ipsa habui; cariorem post hac tua causa me habiturum profiteor. Emblemata tua, & itinera, quæ ad me dono misisti, accepi: habeoque de eo tibi magnas gratias. Vtrumque opus legi magna cum animi voluptate: præsertim verò Emblemata: quæ tua, & tui solius propria; nominis tui immortalitatem, quam editis alijs præclaris ingenij monumentis tibi comparasti, conseruare: atque amicis tuis, inter quos iam aliquo numero esse desidero, de tua gloria maiorem adhuc voluptatem exhibere possunt. Cæterum indicauit mihi Ieremias: te habere in animo; si rem mihi gratam fore scias; ex tuis commentarijs, quæ propediem proditura sunt in lucem, vnum aliquod meo nomini dedicare. Ego verò qui mihi non solum hoc gratum, sed & honorificum futurum cognosco; te rogauero; illud idem, quod meditaberis,

ISNI ERU
scula

meditabaris, & meditaris fortasse adhuc
ipsa vt facias. Sic enim de tuis scriptis stat
vt non tam ij, quos ipsis quæris, Patroni
defendere aduersus obtrectatores sua au
ritate possint: quàm illa nomen eorum, qu
bus commendata sunt, ab hominum ob
uione vindicare. Itaque tuam Italiam, qu
eius regionis magnam partem adolescens
ragraui, & lustrauit, expecto: tuisque colo
bus pictam reuifere cupio. Nam audio in
cætera, quæ editurus es in lucē, Italiam qu
que esse. Quod reliquum est, REVSNE
doctissime: etsi scio excellentem virtute
tuam illustriſsimos Principes iam dedisse
tibi tuæ dignitatis magnos amplificatores
operam meam vix tibi aliquando vsui
posse existimem: de me tamen ita tibi pe
suadeas velim: vt si quid in te, & tuos offic
& studij cōferre vnquam poterō, nihil sis
sideraturus. Neoburgi ad Oenum. 4.
Aprilis. M. D. XXCI.

Tui Studioſiss-

IULIVS COM
à Salmis, & Neu-
burgo &c.

CLA

CLARISSIMO FV

RISCONSULTO, D. NICOLAO

*Reusnero, Rectori Scholæ Lauinganae, amico
suo singulari. S. P. D.*

EMblemata tua, & raræ eruditionis tuæ,
ac prudentis ingenij, & tuæ singularis
erga me obseruantia, atq; beneuolen-
tia, maximo mihi argumento fuerunt: eoq;
nomine dupliciter me delectarūt. Et quanto
magis illa manibus tero: eò maiori, & mira
quadam iucunditate me afficiūt. Dum enim
accuratè virorū illustriū, & semideorū facta
exaggerant; virtutes extollunt: lectori animū
ad eadē affectanda addunt: dum sales sapien-
tissimos doctè cōmentantur: nescio quo sua-
ui oblectamento intuentis mentem reficiūt.
Quæ omnia, vt nihil aliud, quàm exquisitū
artificiū spirant: ita summę tuæ doctrinę, atq;
industriæ certissima signa esse videntur. Pro-
inde tantò magis illo munere me abs te or-
natū fateri debeo: quod ipsum dignè magis
laudari, quàm remunerari posse sentiam. Sed
tamen vt appareat; tuam amicitiam, ac officia
tua mihi accidisse, & semper fore gratisima:
hac id literula, & exiguo isto coronatorum
munusculo declarare volui: non quòd putē,
aut arbitrer, te tale quid à me expectare: vel
auro tuū in me studiū conciliari, aut conser-
uari,

D uari,

uari, aut cōpensari posse: sed vt intelligas
clarorū virorū operā nō aspernari: sed om
eam conatu ambire: & quibuscunque be
uolentia signis queo, strenuè aucupari
re. Tu Musis, & Reipub. literariæ diu inco
mis viuas velim. Etiam atq; etiā vale. Aug
Vindelicorum. Idib. Aprilis. M. D. XX

PHILIPPVS EDVARDVS
Fuggerus Baro. &c.

CLARISSIMO DOCTISSIMOQVE VIRO D. NICOLAO REUSNERO IURISCONSULTO & POËTÆ CÆSAREO, AMICO SUO SINGULARI. S. P. D.

Litera tua, doctissime Reusnere, præ
Idus Martij ad me scripta; gratissim
quidem mihi, atque optatissima fin
runt; vt pote singulari illo amore in me
plenissima: sed eam voluptatem docta illa
elegantia Emblemata tua plurimum au
runt. Nam ita naturam, & proprietatem
rum vbique describis, atque effingis: vt
hil planius, aut diligentius exprimi po
sit. Itaque magnum amoris signum dedisti
quod hoc muneris mihi impertiri, mecum
que communicare volueris. Hortor autem
te, & omninò suadéo: vt in hoc scribendi ge
nere, in quo præcellis, adhuc pergas. Quo
si, v

ut spero, feceris: nominis tui, quod per se
est clarum, & omnium sermone celebratum,
gloriam consequere immortalem. Libellos
adiunctos prima occasione mittam ijs, qui-
bus voluisti: & causam tuam diligenter com-
mendabo. Sic enim habeto: mihi omnia, quæ
ad dignitatem, & amplitudinem tuam augē-
dam spectāt, in primis cordi esse: quod ipsum
breui, ut spero, manifestò comperies. Cate-
rùm Cancellariū Drechselium, & Zorerum
amicos nostros si saluere iusseris; erit mihi
gratissimum. Vale, clarissime Reusnere.
Viennæ Austriae. .III. Non. Aprilis.
M. D. XXCI.

Tuus

RUPERTVS A STOZIN-
gen, in Altenperg.

CLARISSIMO FV-
RISCONSULTO, ET VATI IN-

primis diuino, D. Nicolao Reusnero Leo-
rino &c. amico suo honorando.

S. P. D.

NON modò præstantis ingenij vim
Emblematis tuis indicasti: quod vel
ipsum equidem in commendatione,
eruditorumque nomine semper ponendum
D 2 censui:

cenfui: fed totum te, quantus es, quantum te eo
alij de te pridem iudicârunt, eorum diuina ena
gatio prodidit. Quippe quæ bibliothecæ in in sp
mæ opes præfentes nobis cōftituunt: omnia opera
infequenti ætati, vel quid poffis, vel quæ
tum penfum euigilâris, vrferisq;ue, egreg
exemplo cantabunt. Si cogitationes ob
ad difciplinâs primarum artium redigo; et
quid vel ad commentationes, vel declama
tiones, vel etiam confultationes propofu
ris: quid abditum obfcurior natura tenet
cuius tu non indicium extuleris; fuauiffima
Camænis ita subegeris; ita explicâris; ut
nu te *φυσιολογίας τε, και φιλολογίας* dicitur
rim: ac, fi feres meritò, quod res ipfa luc
lentè monftrat: aliquot veterum Sophi
rum Progymnafmata lucem aliquando pu
talibus funt fugitura: ita decorum, και
πρὸ ὀμμάτων ποιήσις Aristotelea cuncta
lut orbe fuo, comprehendit. Nec femper
admitto illud veteris fabulatoris: *τὸ πολλὰ
τολμᾶν, πολλὰ ἁμαρτάνειν ποιῆναι*. Abefit enim
à tuis *προπετεια* illa: quæ reprehensio
bus conflctatur. De memoria vulgò mihi
abs te impertita, & amo te, & gratiam ha
beo: debeo certè mutuum: dum officio pa
reddidero. Ieremiam noftrum Comes
dat: confcium fecretorum efle, & magiftrum
libellorum patitur: induftriam ita exercere
vt

antur ut eo loco, & fide ad Italia, Calliaque lumi-
dium na emersurum eum minimè dubitem: qua-
ca in spe ne diu ille hæreat; omnem adhibebo
operam. Vale. Vienna. 26. Martij. 1581.

IOAN. SAMBUCVS.

CLARISSIMO VI-

RO, D. NICOLAO REVSNERO,

Jurifconsulto, Poëta, Oratori nobilissimo &c.

amico suo plurimum colendo.

S. P. D.

AD tuas literas, quas reddidit mihi Ie-
remias tuus, Reusnere doctissime,
cùm ille ad te scriberet, respondere
non potui; propterea quòd tunc Illustris
Comitis mei negotijs impeditus, satis tem-
poris ad scribendum non habebam. Itaque
te rogo, vt excusationis meæ necessitatem ac-
cipias; tibiq; persuadeas; quòd in illis amo-
rem erga me tuū ex omnibus partibus osten-
deris; gratas ipsas mihi & periucundas fuisse.
Nihil. n. in me humani esse putè: si, cùm in-
telligam; me, quem nunquam vidisti, tibi jl-
lustri Poëta, magno Oratori, prudenti Iurif-
consulto beneuolum, atq; amicum esse; non
in parte cuiusdam felicitatis posuero: vt &
Ieremiæ tuo adhuc me magis debere sentiam:
qui tuæ istius in me beneuolentiæ primus

D 3 contin-

concinnator fuit. Nam ubi me, & mea, quae
nulla ferè sunt, magnis laudibus ornas; imò
potius oneras: quòd me ab ijs quàmmaximè
abesse cognosco; me tuæ literæ non affe-
cerunt: effecerunt illa potius; ut, cum opor-
tè sciam, ea omnia, quæ de me prædicas, in-
esse; humanitatem tuam, ac liberalitatem ac-
mirarer; qua laudem, & gloriam tuam mihi
communicatam voluisti. quare tibi magna
gratias habere me profiteor. Emblemata tuum
ex Bachilide, quòd meo nomini dedicata
facio, ut debeo, plurimi. Cùm enim qui tuum
nomen excellenti tua doctrina apud omnes
iam clarum reddidisti, tam ornatos & elegan-
tes versus de me scripseris; etiã si causam amo-
ris, qui ad id te impulit, in me non agnosca-
valituros illos mihi cõfido ad gloriam, apud
eos: qui intelligunt, quàm sit optabile lau-
dari à laudatis viris. Itaque de hoc maximo
munere me tibi deinctum cognosco. Debeo
etiam tibi ex eo, quòd disputatione tua me
donaueris. Legi eam diligèter, unã cum ora-
tione de officijs magistratus, ac subditorum
in Rep.: & reliqua quæ huic adiunxisti; quæ
Jeremias mihi liberaliter impertiuit, reddidit
omnia ingenium, & eruditionẽ illam tuam
ut & duo illa epigrammata, quæ filijs illustri-
mei Comitis scripsisti, autorem suum com-
mendant. Iussit ipse; ut, quòd & lubens
eio, tibi suo nomine de eo gratias agerem
omnia

omniaq; sua in te studia, & officia pollicerer.
Vale, & me, vt cœpisti, ama. Neoburgi ad Oe-
num. VI. Kal. Iulij. M. D. X X C I.

Tuæ Excellentia

addictissimus

IACOBVS MARIPETRVS.

EX IVL. CAESARIS
SCALIGERI EPIDORPIDVM
LIBRO SEXTO.

AD IESVM CHRISTVM
OPT. MAX.

Quo me orbis magis, ac magis inuoluo procellis:
Hoc te, bone IESV, magis, ac magis relinquo:
Te sicque relinquens, video à me ipso abesse.
Mundi illecebra hinc me quatit, excutitq; quassum:
Excussus amorem excutio; excussus amor me.
Tu nil nisi amor es merus. alta vis amoris
Ad seruilia patrio duxit Olympo:
Quum pro me morereris; vt inde viueremus.
Hinc, hinc omnia sunt mihi nil, præter Iesum:
Ipse est omnia; & omnia sunt nihil sine ipso.

AD EVNDEM.

O IESV bone, maxime, mitissime princeps:
Ne quid prætereà cupiam, protinus exple.
Si hæc extima desidero; non intimus es tu.
Solus, qui omnia solus es, his me omnibus exple.
O mecum tu vbi fueris, me fac esse tecum:
Ne, tu intus vbi extiteris, te foris requiram;
In sublimibus ædibus, atrijsque regum:
Quæ sunt, omnia, nisi tu, sed nec esse curant.

AD

AD EVNDEM.

Nisi semper amares; odio semper obirem.
Nisi semper adesses mihi, mihi semper abessem.
Ego sum, quia tu. semper ero, tu quia semper.
Si semper ero, tu quod es, & semper es in me.

AD EVNDEM.

Ecquandō mihi contigerit, Deum videre?
Ecquando mihi vivere de Deo benigno?
Quando esse mihi eueniet cum Deo potenti?
O quando mihi det Deus, cum Deo morari?
O quando frui posse Deo, Deūque habere?
Ille in me, ego in illo inficus, intimus quiescam!
Athleta potens: domitans monstra omnia IESU!
Altissime, mitissime, fortissime princeps:
Qui corpus ita, animamque tuam deificasti?
Tua sola Deo poterit me jungere dextra.


AD EVNDEM.


Qui facis omnia, patiēre in nihil me abire?
Qui capis omnia, quianam me excludis ab omni?
Qui das omnia, cur quoque non dabis mihi me?
Quare, qui es vbique, alibi te quærere pergam?
Quare, qui es vbique, haud ego te inuenire possim?
Quare, qui es vbique, habeam non & in meipso?

ERRATA.

A. 5. vers. 12. pro color, lege, calor. A. 6. vers. 12.
pro Richarde, lege Ruperte: nam inter festinandum
erratum est in nomine.


Excudebat Leonhardus Reinnichalius





RELIQNI
opusculi











Th

5859